

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LXIV. Bonis bonas, malis malas sepulturas rectè obuenire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

C A P V T L X I V .

Bonis bonas, malis malas sepulturas justissimè contingere.

I.
Iob. 17, 1.

Luc. 16, 22.

Post mortem, sequitur sepultura. Vnde Iob ait: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi supereft sepulchrum.* Si ergo Deus justus erga animas temptationibus expositas, in ultimo mortis agone; quis eum in-justum dicat erga corpora, siue ea sepeliri sinat, siue insepulta relinquat? De anima Lazari, & anima Epulonis Christus hæc indicauit: *Fælum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abraha.* En quām boni, quāmque nobiles funeris non funeris portatores? *Mortuus est autem & dimes, & se-pultus est in inferno.* O miserabilem sepulturam? quām profun-dum sepulchrum? quām lamentabile funus? quām flebilis la-pis sepulchralis, cui inscriptum est *eternitas! eternitas!* heu eter-nitas! Iustam esse utramque hanc funeris pompam, & sepultu-ram animæ, nemo ambigat: dignus fuit Lazarus Angelorum comitatu; dignus Epulo comitatu diabolorum. Quid mirum est, si illi, qui sicut equus & mulus vixerunt, sepultura asini sepe-liantur? Neque indignum est, si corpora Sanctorum honestè tumulata marmoribus, miraculis, anathematis ornentur. Fue-runt enim domicilia animarum Deo dilectorum, & instrumen-ta piarum operationum.

II. Qua de cauſa, postquam Ioannes ab Herode occisus est,
Matth. 24, 12. leguntur discipuli eius corpus eius tulisse, & cum veneratione sepeliuisse. Ad quam sepulturam significandam, & honorificè Matth. 26, 13. parandam Maria Magdalena effudit alabastrum unguenti pretiosi super caput ipsius CHRISTI recumbentis. Ob quod factum, eam Dominus defendens, dixerat: *Mittens hac unguentum hoc in cor-pus meum, ad sepeliendum me fecit, immò addit, toro mundo pra-di-candum, quod hac fecerit in memoriam eius.* Nicodemus certè mixturâ myrræ & aloes CHRISTVM à morte totum conduxit: & mulieres quoque CHRISTI vngendi cauſa ad monumentum venerunt. Qui mos Ægyptijs, atque etiam alijs consuetissimus fuit. Hinc corpus Jacob Patriarchæ, jussu filij Ioseph, & cadasuer Asæ regis Iuda conditum fuit. Ad quem morem etiam Virgiliius lib. 6, Ann. respicit de Miseno scribens;

Cor-

Corpusque lauant frigentis, & ungunt.

De CHRISTI autem sepultura Isaia vaticinatur: *In die illa, ra-* Isa. xi. 10
dix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur,
& erit sepulchrum eius gloriosum. Quam gloriosum? Primum
Ioseph ab Arimathaea, potestate à Pilato obtenta, corpus ex in-
fami ligno removit. Dein venit & Nicodemus ferens mixturas
myrrhae & aloës quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus IESV,
& ligaverunt illud linteis, (seu inuoluerunt in sindone munda, quæ
seruatur Taurini, sicut sudarium, quod fuerat super caput eius,
Mogantiae) cum aromatibus sicut mos est Iudeis sepelire. Erat au- Idem habet
tem in loco, ubi crucifixus est, hortus; & in horto monumentum nouum, Matth. 27, 57.
in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parascenen
Iudaorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt IESVM. Quam
hoc monumentum nobile fuit? Ipsi Angeli, relicto celo, in eo
federunt, & stellarum instar splenduerunt. Frequentarunt illud
tres Mariæ, visitarunt Apostoli; & ex eo usq; tempore, per ipsos
Christiani nominis acerrimos hostes, hodieque pietatis caussa,
ad illud solent profici Christi amatores non pauci. De quo
glorioso sepulchro Beda, Baronius, Gretserus, alijque complu-
tes copiosè scripserunt. Quin & in omnibus Catholicorum
tempulis sepulchra quæ annis extruuntur, quæ gloriam sepulchri
illius populo repræsentent. Hunc sepulchri honorem Seruator
mille titulis meruit.

Meruerunt & alij olim quoque sepultura honorati. Sic III.
Saram sepeluit Abraham; Abrahamum Isaac: Saram quidem, Gen 23, 19.
in spelunca agri duplici, que respiciebat Mambre, hac est Hebron, in
terra Chanaan. Et confirmatus est ager, & antrum, quod erat in eo,
Abraham in possessionem monumenti a filiis Heth. De Abraham autem
legimus: Et deficiens mortuus est in senectute bona prouecte q̄, atatu, Gen. 25, 8.
& plenus dierum: congregatus q̄, est ad populum suum. Et sepelierunt
eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca duplici, que sita est in agro
Ephron filii Seor Hethai, è regione Mambre, quem emerat a filiis
Heth: ibi sepultus est ipse & Sara uxor eius. Jacob moriturus filijs
benedixit: Et præcepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum: Gen. 49, 29.
sepelite me cū patribus meis in spelunca duplici, que est in agro Ephron
Hethai, contra Mambre in Terra Chanaan, quem emit Abraham.

704 Cap. LXIV. Bonis bonas, malis malas sepulturas recte obuenire.
cum agro ab Ephron Hethao, in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt
eum, & Sarah uxorem eius: ibi sepulta est Isaac cum Rebecca con-
iuge sua: ibi & Lia condita jacet. Nihil splendida horum Patriar-
charum sepultura pungit curiosos. Honorem, quem habent,
meruerunt. Ita vixerunt, ut etiam mortuorum ossibus reue-
rentia deberetur.

IV.

Sapi. 18. 12.

Eccles. 6. 3.

S. Augustin.
lib. de cura
pro morta.
hab. cap. 7.
Ierem. 8. 1.

Ierem. 14. 16.

esp. 6. 4.

Sed neque, si mali malè sepeliantur, scrupulum moneret;
item neque si insepti volueribus in escam dantur. De Ägyptijs à diuino zelo percussis dicit Scriptura: Similiter omnes,
uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad
sepeliendum vini sufficiebant. Hac plagâ digni erant. Quare justa
debet, non dura vocari. Exposita sunt cadavera mortuorum,
oculis transfeuntium, ut desinerent mortem promereret, immo
quia meruerant, dum infantes Hebraeorum ipsi exponerent,
ut vicissim & ipsi exponerentur. Esse hoc genus poenae admis-
sum graue Ecclesiastes docet illis verbis: Si genuerit quispiam
genitum liberos, & vixerit multos annos, sepulturaq; caret, de hoc
ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus. Et in regnorum libro,
ait S. Augustinus, inuenitur, Deum per Prophetam minari altero
Prophete, qui eius transgressus est verbum, quod non inferetur cada-
her eius in sepulchrum patrum eius. Minatur hoc & Ieremias
his verbis: In illo tempore, ait Dominus: Eycient ossa regum Iuda, &
ossa Principum eius, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa
eorum, qui habitauerunt Ierusalem, de sepulchris suis: & expandent
ea ad solem & lunam, & omnem militiam cali, que dilexerunt, &
quibus seruierunt, & post qua ambulanerunt, & qua quasierunt, &
adorauerunt: non colligentur, & non sepelientur, in sterquilinium
super faciem terraerunt. Et alio loco: Et non erit qui sepeliat eos;
ipsi & uxores eorum, filij & filiae eorum: & effundam super eos malum
suum. Rursumque alibi: Non plangentur, & non sepelientur, in
sterquilinium super faciem terraerunt: & gladio & fame consumen-
tur: & erit cadaver eorum in escam volatilibus cali, & bestiis terre.
Ac paulò post: Et morientur grandes, & parui in terra ista: & non

Ierem. 12. 18. sepelientur, &c. Ad Joachim filium Iosia regem Iuda, hæc dicit
Dominus: Sepulatra asini sepelietur, putrefactus & projectus ex wa-
portas Ierusalem. Tales, inutilia terræ pondera, indigni sunt
quos

Cap. LXIV. Bonis bonas, malis malas sepulturas recte obuenire. 706

quos terra intra viscera sua recipiat. Hinc intermulati jacent, hinc bellugas pascunt, quod pueris contigit perulantibus illis. Eliséus ascendit in Bethel, cumq; ascenderet per viam, pueri pars 4. Reg. 2. 29 egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes. Ascende calue, ascende calue. Qui cum respxisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini; egressi q; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eius quadraginta duos pueros. Tali sepulchro impij merentur sepeliri: qui conuicijs Prophetam tamquam bestiae lacerauerunt, ipsi quoque fuere dentibus bestiarum lacerandi. Ciuitis etiamnum poena quibusdam criminibus est statuta, vt, sicut quidam, more Venetiarum violatarum, viui sepeliuntur, ita alii in aere suspensi corris cedant in prandium; alii in flumen abiciantur, dolio, non feretro inclusi; nimirum, qui se ipsos suspenderunt, aut alio modo interemerunt. Quamobrem, sicut omnes Deum laudant in titulis, monumentis, & elegantibus sepulchris sanctorum hominum, quorum pretiosa est mors in conspectu DEI, si que etiam in conspectu hominum pretiosa: ita merito etiam diuina justitia suspicienda est, cum impios sepulchri honore priuat. Habet enim utique Deus in hominum sepulturas jus maius, quam quicunque civiles magistratus.

Esse autem partem supplicij, decreto magistratus vel ciuitatis, vel Ecclesiastici, beneficio sepulturæ priuari, & filiis aquilæ deuorandum exponi, clarum est non solum ex illis Ecclesiæ statutis, quibus excommunicati, & heretici Ecclesiastica sepultrâ & loco sacro, suffragijsq; viuorum excludantur, sed etiam ex decretis veterum Romanorum, in quibus multa de religione sepulchrorum: enimvero etiam ponæ legibus addita: *Qui hoc, vel illud commiserit, insepultus abiiciatur: sicut illud apud delima-* L Viues in i- *tores: Qui parentes in calamitatibus deseruerit, insepultus abiiciatur:* de ciuit. c. 12. *Homicida insepultus abiiciatur. Sic ad popularem sc. sam pro Milone loquitur Cicero, cum infelicius dicit cadaver Publy Clodij fuisse, quod honore illo, & consueto funeriu pompa caruerit. Verum est, quoddam Gentilium Philosophos extiisse, qui curam sepulchri non habuerunt: vt Diogenes Cynicus, qui cum morti proximus, & sub arbore jacens, interrogaretur, ubi vellet tumulari, respondit, vi sic eum permetterent. Cumq; amici admonerent, de lania-* Idem Viues loc. cit. *cione*

V.

706 Cap. LXIV. Bonis bonas, malis mala sepulturæ recte obuenire.
tione cadaueris: Apponite, inquit, mihi baculum, quo aues & canes
abigam. At qui nihil senties, inquiet illi. Si nihil sentiam, respondit
Diogenes, quid mihi aberit laniator? Idem fecit Menippus, & panè
fuit istud Cynicis omnibus commune. Theodorum Cyreneum, Cicero
in Tusculanis scribit, Lysimacho cracem minitanti, respondisse: Terri-
bilis sit hac purpuratis tuis, mea nihil interest, humine jam, an subli-
me putrescam. Eadem est Socratis sententia in Phædone Platoni.

Cardan. li. 2.
de consol.

Theodoret.
lib. 9. contr.
Græc.

Lactant. li. 6.
Instit. c. 12.

Catull. in
Nuptijs Pelei
& Thetidis.

V I.
Bisciola t. 2.
cap. 1.
S. Augustin.
lib. de eura
pro mortuis.
cap. 2.
Psal. 78. 2.

Laudat, pro Christiano ultra rectum, hæc talia Diogenis, alio-
rumque responsa Cardanus, approbans & illud, quod ex Seneca
refert, sepulturam, non mortuorum, sed viuentium caussa usur-
pari, ne & odore, & aspectu cadauerum offendantur viuentes.
Adhuc immittit Massagetæ, Hircani & Tibareni apud Theo-
doretum, qui planè usum sepulturæ ignorabant. Quidquid sit
de Diogene, qui multa Cynicè, & dixit, & fecit, plerosque ta-
men reliquos, rectè scribit Lactantius non dixisse, non esse se-
pelienda mortuorum corpora, sed si id forte non fiat, nihil
admodum esse incommodi; neque esse, cur id aliquem valde an-
gat; quare ea in re, non tam præcipientium, quam consolantiū
functos officio, ut si forte id sapienti euenerit, non se ob id misere-
rum putet. Et sanè, quidquid dixerint vel Cynici, vel Stoici,
negari tamè nequit, aliquid malum esse corporis inseptulti, alio-
qui nec ciuilis, nec Ecclesiasticus magistratus, neque ipsa diuina
Scriptura, malefactorum pœnis id minarentur, neque illa, apud
Catullum, Ariadna questa esset, cum in insula defituta à The-
feo, beneficio suo commemorato, diceret:

Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusq;
Preda, nec injecta tumulabor mortua terra.

Quod malum tantò magis æstimabant, quia apud Ethni-
cos ea opinatio inualuerat, vt copiosè ostendit Bisciola, sepul-
turam in magnam mortuorum commodum cedere, quod quo-
rum corpora jacerent insepulta, inquietas haberent animas, vt
ex 6. Æneid. memorat D. Augustinus. Inter mala certè enumera-
ratur à Davide ab hostibus illata: Posuerunt morticina fernorum
tuorum, escas volatilibus cali; carnes Sanctorum tuorum bestijs terra.
Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu
Ierusalem, & non erat, qui sepeliret,

CAPVT